

& cum sic sæpè spatium duplicasset, admirans Tyrannus quid sibi procrastinatio hæc vellet percunctatus est. Quia quò diutius, inquit cogito, eò mihi species videtur obscurior: prudenter non temerariè & impudenter, vt quidam solent, haud aliter verbis Deum circumscribentes, quam si vel is humanis intellectibus caperetur, vel ipsi nunc de cælo venientes, interfuisse diuinis consiliis meruissent.

ARISTOPHANES.

Aristophanes Comicus, Periclem quem virum cautissimum fuisse constat, Finxit ab inferis reuertentem, & ciues suos monentem: non oportere in ciuitate leonem educari, si educatus fuerit obsequi oportere: Persuadere volens hoc figmento, adolescentibus generosis ac præferocibus, habenas substringi debere, postquam laxatæ sint, serò contrahi, immodica frænum recusante licentia. Posse igitur inimicum libertati nimium fauorem potentibus negari, consecutis eripi non posse.

PYLADES.

A Comœdia in scenam breuis est tractus: Quis & illam crederet exem-

f. ij.